Finnur Magnússon

De imaginibus in æde Olavi Pavonis

1826

DISQVISITIO

DE IMAGINIBUS

IN ÆDE OLAVI PAVONIS HIARDARHOLTENSI,

SECULO X^{mo} EXTRUCTA,

SCENAS AUT ACTIONES MYTHOLOGICAS REPRÆSENTANTIBUS, IN LAXDÆLA MEMORATIS;


(CAP. 29 PAG. 112-114).

AUCTORE

FINNO MAGNUSEN.

HAVNIÆ.
EX OFFICINA HARTV. FRID. POPP.
MDCCCXXVI.





"Þat sumar lét Olafr gera eldhús í Hiardarholti meira oc betra enn menn hafi sét; voru þar markadar á ágætar sögur, á þilividinum ok sva á ræfrinu; var þat sva vel smídat, at þá þótti miklu skrautligra er ei voru tiöldin uppi. At álidnum vetri var bod allfiölmennt í Hiardarholti, þvíat þá var algiört eldhúsit; þar var at bodi Ulfr Uggason ok hafdi ort kvædi um Olaf Höskuldsson ok um sögur þær er skrifadar voru á eldhúsinu ok færdi hann þar at bodinu. Þetta kvædi er kallat Húsdrápa ok vel ort. Olafr launadi vel kvædit." *i. e.* *"Hac æstate Olavus diætam (sive coenaculum) ampliorem atqve magnificentiorem qvam homines alibi [in Islandia] exstructam viderent, ædificandam curavit; erant enim tabulata atqve lacunar celeberrimis historiis (i. e. historiarum aut fabularum ectypis) distincta (vel signata). Tanta cum arte diæta illa fuit fabricata (sive adornata), ut auleis (aut tapetibus) remotis, multo pulchrior appareret. — Versus hyemis finem convivium Hiardarholti celebrabatur, ingenti hospitum multitudine freqvens, tum enim diæta perfecte instructa. Eo convivio Ulfus Uggi filius interfuit, qvi poëma de Olavo Hoskuldi filio deqve illis historiis, qvæ in diæta pictæ (scriptæ vel repræsentatæ) erant, confecerat, istudqve in hoc convivio recitavit. Carmen hocce, qvod* Húsdrápa *(i. e. poëma de*

ædificio agens) vulgo appellatur, eleganter certe fuit concinnatum. Olavus ipsius auctori largam præstitit remunerationem."

Vetusti hujus carminis fragmenta non perpauca Skálda *nobis servavit, id primo loco ita memorans* *)*:* Ulfr Uggason hefir qveþit eptir savgu Balldrs lángt skeið í Húsdrápu ɔ: "*Ulfus Uggi filius prolixam Balderi historiæ (sive mythi) expositionem in carmine* Húsdrápa *dicto concinnavit." Pretiosa illa fragmina his inserere, & versione ac notis illustrare non hæsitavimus, qvum artificii prædicti, inter Scandinavos é descriptis antiqvissimi, vera indoles & aspectus inde ex magna parte elucidari videantur.*

Ad proœmium carminis Húsdrápa *hemistrophium hocce olim sine dubio pertinuit (l. c. pag. 100).*

Hialldrgégni tel ec Hilldar
Hugreifum Oleifi;
Hann vil ec at giöf Grímnis,
Gédfiarþar lá qveþia **).

ɔ: *Bellici strepitus animoso responsori*
Olavo (poëma) recito;
Ipsum, Grimneris (Odini) dono,
Mentalis sinus latice ***) *salutabo.*

Decantantur cæterum illis fortuito nobis servatis, qvamvis abruptis & dissipatis, strophis aut hemistrophiis tres borealis Mythologiæ fabulæ, hæ nempe:

1. *Incendium sive funebris rogus Balderi Dei (qvum reliqva ejus illic celebrata vita infeliciter desit).*

---

*) *Vid.* Snorra-Edda ásamt Skáldu &c, útgefin af R. Kr. Rask Stockhólmi 1818, 8 *pag.* 103. *cfr. pag.* 105. *In seqventibus lectiones variantes ibi allatas, qvas cæteris præferendas censemus, adoptaturi sumus.*

**) *Prosaice ita in ordinem redigendum:* Ec tel Oleifi hugreifum Hildar hialldurs gégni; hann vil ec qveþia gédfiarþar-lá at Grimnis giöf.

***) *I. e. poësi sive carmine, secundum mythicam Eddæ phraseologiam.*

2). *Certamina Thori cum Hymere gigante* & *Jormungando dracone* ɔ: *mundano sive Midgardensi serpente.*

3). *Rixa aut pugna Heimdalli* & *Lokii.*

I. *Descripserat vates noster magnificam Deorum ad Balderi flammeas exeqvias processionem. Hæcce tantum fragmina episodii illius jam existunt;* (*L. c. pag.* 104)*:*

Ríðr á bavrg til borgar
Bavðfróþr sonar Oþins
Freyr oc fólkum stýrir
Fyrst oc gvlli byrstum *)

ɔ: *Vehitur primo ad arcem* **) *Odini filii*
Verre aureis setis prædito
Pugnandi gnarus Freyerus,
Agmina (*coelestia*) *ducens* ***).

Pag. 96 *decantatur Odinus cum corvis isti propriis* & *Valkyriarum agmine illuc tendens, duobus qvidem separatis hemistrophiis, qvæ solidam olim stropham ita effecisse videntur:*

Ríðr at vilgi blíðu
Vídfrægr (enn mér líða)
Hroptatýr (of hvopta
Hróþrmál) sonar báli;
Þar hyck sigrunni svinnum
Sylgs Valkyriur fylgia

---

*) *Ordine prosaico:* Fyrst ríðr bavdfródr Freyr til Odins sonar borgar, á bavrg, oc gulli byrstum, oc stýrir fólkum.

**) *Arcem hanc significare puto pyram Balderi* (*Odini filii*) *exeqvialem, qvum talis etiam arx vocetur eddicis carminibus, proprie sic dictis.* Cfr. *editionem Eddæ antiqvioris Havniensem* II, 240, 258, 590. — *Hodie qvoqve principes Asiatici Buddhisticæ religioni addicti palatiis pro funebribus rogis utuntur. Vide scriptum nostrum:* Edda-Læren og dens Oprindelse IV, 541-542.

***) *Simili modo Græci ac Romani vates Solem vel Apollinem decantarunt. Freyerus nostratibus solaris luminis præcipuus director credebatur.*

Heilags tafns oc hrafna,
Hlaut innan sva minnum [1]).

ɔ: *Eqvitat celeberrimus Odinus* [2])
Ad filii rogum parum gratum,
Dum per ora nostra
Encomia proferuntur;
Opinor ibi prudentem victorem
Seqvi Valkyrias propinatrices [3])
Et corvos insuper; ita sancti sacrificii
Litamen intus memoramus.

Pag. 97 *Heimdallus Deus eidem processioni adfuisse dicitur:*

Kostigr ríþr at késti
Kynfróþs, þeim er goð hlóþu,
Hrafnfreistaþar hesti
Heimdallr at mavg fallinn [4]).

ɔ: *Eximius Heimdallus, eqvo vectus, tendit*
Ad rogum, qvem Dii struxerant
Filio cæso posteritate clari
Corvorum tentatoris (Odini).

Monstravimus alibi Eddæ junioris relationem de Baldero ad Husdrapæ (& *igitur proprie ad artificii ibi descripti*) *normam compositam fuisse* [5]).

[1]) *Ordine prosaico:* Vídfrægr Hroptatýr ríþr at vilgi blíþu sonar báli — en mér líþa hróþrmál of hvopta; þar hyck sylgs Valkyriur oc hrafna fylgia svinnum sigrunni; sva minnum innan hlaut heilags tafns.

[2]) *Proprie: tempestatum vel etiam præconum aut sacerdotum Deus. Vid. Edd. antiqv.* III. 444.

[3]) *Hic forte proprie: libamina exeqvialia ferentes. Valkyrias Deorum ac heroum in Valhalla propinatrices fuisse, alias est notissimum.*

[4]) *Ordine prosaico:* Kostigr Heimdallr ríþr hesti at þeim késti er goð hlóþu at kynfróþs hrafnfreistaþar fallinn mavg.

[5]) *Edda antiqv.* III. 298; — *translat. Dan.* II. 45 *sq.* Bidrag til nordisk Archæologie *pag.* 30 *sq.*

II. *Ad mythica Thori cum dracone mundano & Hymere gigante certamina varia hemistrophia alludunt. Famosa illius piscatura, qvâ ipse Jormungandum capere sive occidere tentavit, in fragmentis seqventibus memoratur:*

Hemistrophium Skaldæ insertum (*pag.* 158 & 178) *ac aliud ibidem* (*pag.* 204) *inverso ordine integram stropham efficere putamus, & ambo ita rite componenda:*

Innmáni skein ennis
Öndótts vinar banda,
Áss skaut ægi-geislum
Orðsæll á men storðar;
En stirðþinull starði
Storðarlegs fyri borði
Fróns á fólka-reyni
Fránleitr oc blés eitri *).

ɔ: *Fulsit luna torvi numinum*
*Amici fronte inclusa***);
Asa [Deus] laude beatus
In telluris monile [serpentem]
Terribiles ejaculavit radios;
Sed contra, ad navigii latus,
Angvis aspectu coruscus oceani,
Rigide extensus, fixo visu intuebatur
Terræ populorum tentatorem, venenum eructans.

Tertium (*pag.* 102) *celebrat cædem angvis Midgardensis in Edda juniore inde memoratam sed auctori non acceptam:*

Víðgýmnir laust Vimrar-
Vaðs af fránum naðri

*) *Ordine prosaico:* Öndótts banda vinar ennis innmáni skein. Ordsæll áss skaut ægigeislum á stordar men. En fránleitr stordarlegs stirdþinull stardi, fyri bordi, á fróns fólka reyni oc blés eitri.

**) *I. e. Thori fulminantis oculus.*

Hlusta grunn viðˌhravnnom;
Hlaut innan svâ minnum *).

I. e. *Lati Vimræ vadi transgressor* **)
Ad undarum aggeres (pressum)
Caput corusci serpentis abscidit —
Hæc intus carmine memoramus.

De Thori certamine cum gigante Hymere seqvens agit hemistrophium:

Fvllavflugr lét fellir
Fiallgauts hnefa skialla,
Ramt mein var þat, reyni
Reyrarleggs við eyra ***).

ɔ: *Perqvam validus monticolæ prostrator*
Pugnos allidi fecit
Auri (genæ) arboris trunci tentatoris —
Id damnum acerbum evasit!

III. *Leguntur seqventia in Skalda inter poëticas Heimdalli denominationes (pag.* 107). *"Est [vocatur] Lokius accessor scopuli (marini) dicti* Vagaskér & *petræ* Síngasteinn *appellatæ; tum cum Lokio de monili (Freyæ) Brisingico contendit (sive altercatus est). Ulfus Uggii filius de hac re prolixam confecit episoden, in carmine suo* Húsdrápa, *ubi etiam memoratur: qvod tunc ambo isti phocarum assumtis formis usi fuerint." Paullo post (pag.* 106) *inter Lokii appellationes hæc invenitur: "Hostiliter altercans cum Heimdallo," seqventi Ulfi nostri cantilenâ additâ:*

---

*) Viðgýmnir Vimrar-vaðs laust hlustagrunn af fránum naðri, við hravnnum; sva minnum hlaut innan.

**) *Proprius sensus & ortus vocis* Vídgýmnir *(qvæ Skaldæ auctori* gigas *audiit) mihi qvidem obscurissimi apparent & translatio illa idcirco pro merâ conjectura habenda — sed certe hic de vado amnis Vimræ (qvod Thorus in expeditione ad Geirrodi habitacula transierat) sermo fuit poëtæ, unde is illam Dei appellationem sumsit. Auctor Eddæ junioris (pag.* 63) *hanc relationem, sed non carmen* Hýmisqvida, *Eddæ antiqviori insertum, manifeste secutus est.*

***) *Ordine prosaico:* Fullavflugr fiallgauts fellir lét hnefa skialla reyni reyrarleggs við eyra; ramt mein var þat.

Ráð-géginn bregðr ragna
Rein at Síngasteini
Frægr við firna slægium
Farbauta mavg vari;
Móðavflugr ræðr mæðra
Mavgr haf-nýra favgru,
Kynni ec, áðr enn einna
Átta, mærðar þáttum *).

ɔ: *Consultus ille cito commovet*
Viam Deorum (Iridem) ad Singasteinum,
Celebris ob cautelam contra
Farbauti gnatum, mire callidum;
Animo validus filius
Matrum unius præter octo [ɔ: *novem*]
Jam tenet splendidum maris renem [*lunam vel gemmam*]*;*
Hoc carminis strophâ promulgo **).

Artificia illa Olavi Pavonis celeberrimus Suhmius pro runicis inscriptionibus accepit. Rectius noster P. E. Müller in iis picturas recognovit historicas sive mythicas. Opinor egomet repræsentationes ipsas sculptoris sive rectius scalptoris scalpro esse productas, qvam circumstantiam narratoris verbis: "markadar" & "smídat" *optime congruere censeo. Nihilominus hæcce sculpturæ vel scalpturæ variis insuper coloribus vel pigmentis fucatæ aut adornatæ fuisse videntur. Sic poëta, in sua artificii descriptione expressis verbis loqvitur de verre Freyeri, aureis setis insigni. De*

*) *Ordine prosaico:* Rádgégninn bregdr ragna rein at Síngasteini, frægr vari við firna slægium Farbauta mavg. Móðavflugr mavgr átta áðr enn einna (r) mædra ræðr favgru hafnýra. (þat) kynni ec mærdarþáttum.

**) "*Uti hic de Iride, qvasi Deorum via sive ponte sermo est, sic vatem itidem lunam pro flammeo Freyæ monili habere, et istam splendidum maris sive oceani renem (qvamvis simul de gemmâ pellucida sive fulgida, monili illi inclusâ, dici possit) appellare censeo. Hodiedum Islandi irinam (meteoron qvoddam aëris pelagici, Iridi non absimile) nominant hafgall ɔ: bilem oceani.' Videantur cætera huc pertinentia in Edda antiqviore* III, 309-311.

fulgido & radiante Thori visu sive oculo; de corusco dracone & splendida lanâ (sive gemma). Scimus præterea Venedos aut Sclavos gentiles (Scandinavorum vicinos) tale pictæ scalpturæ genus adamasse & exercuisse; qvam qvoqve observationem non tantummodo de serioribus medii ævi figuris, sed etiam de vetustissimis Ægyptiorum, Græcorum & Indorum imaginibus valere novimus *).

Miraretur sane nemo, etiam si nulla talia artis antiqvæ monumenta, ex ligno maxime corruptibili facta, jamdum reperirentur; nihilo minus aliqvot similis artificii reliqviæ in borea nostro sunt detectæ, sed sæpissime ab inventoribus spretæ ac igni vel oblivioni traditæ. Existunt tamen fragmenta qvædam scalpti operis et qvidem partim variis coloribus (rufo, flavo & atro) fucata, inventa in sepulchro Danorum reginæ celeberrimæ, Thyræ Danabót (sive Dannebod) dictæ, Gormi grandævi conjugis, circa annum 945 *fatis defunctæ, qvæ hic in museo regio antiqvitatum borealium servantur & qvorum descriptionem nosmet, una cum amicissimo nostro Thomsenio, ligneo illo sepulchro, tumulo stupendi operis incluso prius visitato, adumbrare conati sumus***). *Fragmina illa, qvæ per mille circiter annos humo fuerant gravata, & per maximum istud temporis spatium aqvâ vel madido luto involuta, nihilominus colores, ipsis olim inditos, retinuere, qvæ circumstantia nobis persvasit, ipsos olei ope illam acqvisiisse durabilitatem. Picta igitur ista ligna tradidimus doctissimo chemiæ in universitate Havniensi professori W. C. Zeise, qvi colores illos oleo originitus indubie admixtos fuisse certis probavit experimentis ac proprio testimonio. Oleaceam picturam, qvamvis rudem sane & subtiliori arti*

---

*) Suhms Tabeller til den critiske Historie af Danmark, Tab. XXXIX. P. E. Müller Saga-Bibliothek II, 386-387, Den ældre Edda II, 46 sq. Bidrag til nordisk Archæologie pag. 30, 97, 100-102. Cfr. Rahbek nordiske Fortællinger II, 245-46.

**) Antiqvariske Annaler IV, 64 sq., 88, 97, 135-138. Tab. I & II. Cfr. Finn Magnusens Optegnelser paa en Reise til Jellinge. Khavn. 1821 pag. 74 sq. 129 (*qvod opusculum celeberr. Nyrupii itineribus Danicis insertum habetur*). *Iter illud, qvod amplissimis investigationibus et detectionibus ansam dedit, ab immortali Daniæ Mecœnate, illustris. Johanne Bülow de Sanderumgaard, eqvite ordinis Elephantini p. p. institutum fuit* 1820.

non adaptatàm, medio ævo in septentrione Scandinavico exercitam esse, nos prius suspicati fueramus, variis rationibus adducti [1]).

Majora ejus generis è septentrionali antiqvitate specimina nobis desunt; qvod autem illa Hiardarholtensia artificia non penitus rudia aut inelegantia fuerint, concludere possumus, tam ex aliis ejusdem vetustatis in nostris terris repertis monumentis, qvam ocularium testium effatis de pictis gentilium Venedorum sive Sclavorum scalpturis, nobis a medii ævi scriptoribus servatis. Legimus ita e. gr. seqventem descriptionem templi principalis Stettinensis circa annum 1150 [2]). *"Erant in civitate Stettinensi continæ qvatuor, sed una ex his, qvæ principalis erat, mirabili cultu et artificio constructa fuit, interius & exterius sculpturas habens, de parietibus prominentes imagines hominum et volucrum & bestiarum, tam proprie suis habitudinibus expressas, ut spirare putares ac vivere, qvodqve rarum dixerim, colores imaginum extrinsecarum nulla tempestate nivium vel imbrium fuscari vel dilui poterant, id agente industria pictorum." Longe prius (circa annum* 1015) *Dithmarus Merseburgensis ita descripserat templum Rhetrense: "Fanum de ligno artificiose compositum; hujus parietes variæ deorum dearumqve imagines mirifice insculptæ exterius ornant* [3])." *Similis tenoris est postremo relatio Saxonis Grammatici de templo Arconensi, circa annum* 1169 *a Danis christianis destructo: "Erat delubrum materia ligneum, opera elegantissimum, non solum munificentia cultus. Exterior ædis ambitus accurato cælamine renidebat, rudi atqve impolito picturæ artificio varias rerum formas complectens* [4])." *Ex hisce descriptionibus concludere possumus, qvod repræsentationes in æde Olavi Pavonis* [5]) *Venedicis jam memoratis materie, formâ & picturâ optime convenirent, eo tantum descrimine: qvod illæ externos ornaverint ædium parietes, hæ autem internos, lacunari insuper addito.*

[1]) Bidrag til nordisk Archæologie 1820 pag. 87-90 (*translat. Svec.* 81-84).

[2]) *Sigfridi vita S. Ottonis apud Ludewig, Scriptores rer. Bamberg.* I. 680.

[3]) *Dithmari Merseburg. Chronicon* (*Leibnitz. Script. rer. Brunsvic* I, 381).

[4]) *Saxonis Grammatici Hist. Dan. Lib. XIII.*

[5]) *Celeberrimi nostri ævi sculptoris, Alberti Thorvaldsenii atavi, secundum genealogiam a doctiss. Espolino exaratam.*